Cracoviensis Studior. Univ. Jagell.
Promotiones Ordinis Philosophor.
1666 8 mens. Aprilis.

Poezya 3071.

Tariner Ludovici Nicolai: Praemium virtuti et labori XXXV. VV. DD. secundae laureae Candidatorum. _

PRÆMIVM VIRTVTI, ET LABORI,

XXXV. VV. DD. SECVNDÆ LAVREÆ CANDIDATORVM.

DVM

Sub Felicissimis Auspicijs

ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI,

PRINCIPIS ac DOMINI,

D. ANDREÆ TRZEBICKI,

Dei & Apostolicæ sedis gratiâ

EPISCOPI CRACOVIENSIS,

DVCIS SEVERIÆ,

ALMÆ Vniuersitatis CRACOVIENSIS

CANCELLARIJ

Fauentissimi.

A

Perillustri, & Admodum Reuerendo Domino,

D. STANISLAO IVRKOWSKI,

Sacræ Theol. Doctore & Professore,

Protonotario Apostolico, Præposito S. FLORIANI,

S. GEORGII in Arce Crac: & Opatouiensi Custode,

Collegij Vladislauiani PROVISORE,

Academiæ Cracouiensis PROCANCELLARIO,

ET

GENERALI RECTORE

Vigilantissimo.

Magisterij in Artibus, & in Philosophiâ Doctoratûs,

Licentiati ritu solenni renuntiarentur,

Amoris & gratulationis ergò.

PER

LVDOVICVM NICOLAVM TAINER, eiusdem Secundæ Laureæ Candidatum.

EXHIBITVM.

CRAC: Apud Heredes & Succ: LVCÆ Kupiß, S. R. M. Typ. A. Dñi, 1666. Die 8. Men. Apr

IN STEMMA ILLVSTRISSIMÆ DOMVS SKARSZEVIORVM.



Quidquid habet pietas, res bellica quidquid honoris,
Magnaq; consilij pectora, quidquid habent.
Continet hoc totum, priscæ virtutis Aceruo,
Excellens meritis, SKARSZEVIANA Domus.

FRANCISCVS TOKARSKI,
Philosophiæ Audit:

ILLVSTRISSIMO, ac MAGNIFICO DOMINO,

D. STANISLAO

à SKARSZEW

SKARSZEWSKI,

Castell: Małogostensi, Drochobicensi &c.

CAPITANEO: Magnæ procurationis Cracouiensis Administratori.

Domino, & Patrono Amplissimo.

NOn occulta fatorum potestate euenit Illustrissime Domine, præsens quod Præmium virtuti & labori, *legitimè Academica in arenâ certantium; festiuos inter Apollinis plausus erectum; Tuum Amplissimum in conspectum, plus, quàm Fortunatas ad Insulas deueniat; optatamquè Tuis in manibus metam, sortiatur. Nescit quippè humi serpere Laurus, nec depressa coronare loca, magnis sed tantum culminibus debetur. Quodsi eruditi multorum labores, vel inde lucent, luci quod publicæ typo sint expressi: maiora longe, de tenello hoc mihi polliceor Opere; quod à Tuo Illustrissimo conspectu, & patrocinio, eo maiorem splendorem mutuat, & mutuabit, quo Tu ampliores in Republica nostra florentissima honores, altiora subsellia, præeminentiasq́ obtines; ac obtinebis. Meretur etenim hæc omnia boni Ciuis (cuius Tu Illustrissime Domine absolutissimum exemplar es) indefessa circa communem omnium nostrûm Parentem Patriam cura. Meretur auitus (quem Tu Ampliorem reddis) Maiorum splendor; Maiorum inquam quos in Illustrissimâ Domo Tua, bello páceq́ insignes, à multis sæculis, tot numerare licet, quot in Gentilitio Tuo Aceruo, selectissima omnigenæ virtutis grana, maxima immortalis gloriæ fæcunditate, Orbi Sarmatico asseruata sunt & asseruantur. Prodierunt certè ex hoc Cornucopiæ ditissimo Clarissima illa Magnorum in Republica nostra Heroum nomina, quibus tàm Pontificia, quàm Senatoria dignitas splendidissime effulsit; cùm alij Primatialem Regni, alij Vratislauiensem Cathedram, summa cum gloria, & Ecclesiæ DEI incremento, feliciter administrassent: alij Legationibus publicis functi, in Orbis facie, vrbiumquè* Principe Roma, SKARSZEVIANAM suadæ vim, & maiestatem declarassent: Alij cum ADAMO de SKARSZEW

Castellano Calissiensi, PETRO Castellano Biechouiensi, & alijs complurimis in Senatu Polono, *rem Patriæ, bonumq́ publicum, maximâ prudentiâ, authoritate, grauitate, promouissent. Meretur deniq́ togatæ Palladis (quem in Te veneramur) eximius amor cultusq́, cum id apud Te veræ sapientiæ pretium, atquè is literarum honos sit, qui Doctissimi animi Tui, eximiam in Te præstantiam facile profitetur. Quodsi in fertilissimo illo magni pectoris Tui Aceruo, summa Tua decora, atq́ virtutum eximia Ornamenta considerare vellem, intuerer profectò Diuinum quoddam, & incredibile pietatis studium, maximæ in omnes, ac præcipuè in Domûs Dei decorem beneficentiæ gratiam, magni átq́ saluberrimi bono publico consilij penu inexhaustum; Antiqui candoris Poloni, priscæq́ virtutis, verissimam imaginem, ex quibus factum est, ut Serenissimis Poloniæ Principibus, ob animi tui magnitudinem, integritatem, excellentiam, rerumq́ gerendarum summam dexteritatem, charissimus semper existeres, quorum in Te insignis propensio, maximis beneuolentiæ argumentis expreßa, hactenus viget, & efflorescit. Atq́ ideò iactent iam Alij Mecænates varios, mihi sufficit, si te vnicum Illustrissime Domine habuero; tuosq́ semper ante Oculos versatus fuero, quo non pectus liuidum mordaxq́ Zoili linguâ pertingat. A tui etenim Auiti stemmatis insignibus, nil mihi possum, nisi omnia fausta fortunataq́ polliceri, ac ominari. Gentilitius siquidem Aceruus Tuus quoscunq́ fouet, ac tuetur, eosdem à maligna quauis inclementia propugnat, & vel aliquando immeritos, pro singulari sua humanitate meritis coronat. Exuberet ergo iam hic Aceruus honorum gloriâ, tollatur ad Astra Eruditorum præconijs, vt secutura posteritas, ex omnibus splendoribus coaceruatum* SKARSZEVIANVM Aceruum, *longo sæculorum tractu suspiciat, ac veneretur.*

Illustrissimæ Dominationis Vestræ

dedítissimus

LVDOVICVS NICOLAVS TAINER,

eiusdem Secundæ LAVREÆ CANDIDATVS.

ERRANTIVM SYDERI, STVDIORVM PATRONÆ, Sine labe CONCEPTÆ VIRGINI, MELOS VOTIVVM.

DIua, condignis celebrata nunquam
Laudibus Virgo, precor alma præſes,
Sis metri noſtri: calamumq; dextræ
ducito vatis.

Sydus errantûm ſine te profundas,
Quisquis inuadit Palinurus vndas,
Amplius non iam canet, illa lætum
Cymba celeuſma.

Icari caſum timeat, neceſſe,
Qui ſibi fidit, neque detinetur,
A tuo Mater gremio ; Tonantis
Præſidioq;.

Phœbus at poſtquam fueris coruſcans,
Nulla mortalem premet vmbra cymbam,
Nam tenebroſæ, dabis auſpicata
Lumina menti.

Labe non vnquam maculata Virgo;
Pulchrior caſtâ niue, lilioque,
Sola primæui vitio parentis,
Neſcia tangi.

Dum metri, ſummum capio laborem,
Dignor & dignos, celebrare laude,
Adiuues vatem minus eruditum,
Sacra Virago.

Carminis cymbam, bona ſolue Rectrix,
Quam, nec infenſæ feriant procellæ,
Nec Notus iactet, pelagi per vndas
Atque Charybdes.

Supprimas vires Aquilonis, vt poſt
Tot procelloſi; Duce Te recurrat
Æquoris motus ; teneatque tandem
Littus amicum

PERILLVSTRI,

Magnifico, & Admodum Reuerendo Domino,

D. STANISLAO JVRKOWSKI,

Sacræ Theologiæ Doctori, & Professori, Protonotario Apostolico, S. FLORIANI Præposito, S. GEORGII, in Arce Cracouiensi, & Opatouiensi, Custodi, Collegij Vladislauiani PROVISORI,

ALMÆ Vniuersitatis Cracouiensis PROCANCELLARIO,

ET

GENERALI RECTORI, Vigilantissimo.

DEBITVM GRATITVDINIS

MNEMOSYNON.

IAm cessit tandem, rigidis Aquilonib⁹ horrens
Bruma: per alternos rediens sæuissima cursus,
Canitiemque soli lauit, surgentibus Austris
Imber; & optatos retulit mortalibus agros.
Tempus adest veris, tellus quo parturit alma.
Floreque purpureo nimium vestita superbit.
Flant Zephyri, cāpos recreantq; tepentib⁹ Austris
Luxuriant vites, & frondes explicat arbor,
Quidquid & immitis tumulauit bruma decoris,
Reddidit hoc totum, veris peramæna voluptas.
Nunc recreare iuuat mentem, syluasq; virentes
Visere, per campos violis pictosque vagari,
Aura fauet membris, frigus nec torquet & æstus.
Ergo tam læto corpus recreare studebo
Tempore; tum lucos, virides camposq; videre
Pergam; contigerit si quid metrisque notabo.
Vix iter ingressus fueram, mox obuius amnis
Pergere me vetuit, rapidas ferrique per vndas;

Sed-

Sed me trans fluuiũ prouexit adunca phasellus.
Conglomero lentos, traiecto flumine gressus,
Scandere præcelsi montis, tendoque cacumen
Vt mentem quocunq; modo recreare valerem.
Vix lentum moui gressum, Tritonia Virgo
Obuia processit, fulget caput ære corusco
Loricâ pectusque nitet, manus atq; sarisâ.
Hanc ego vix supplex quo possũ dignor honore
Talia mox ad me niueo de pectore prompsit.
Si recreare cupis mentem, me nate sequaris
Nam mihi sunt chari, qui Palladis arte fruuntur
Hæc miror; tum illamq; sequor mox culmina summi
Cerno duo montis, Parnassi nomine dicti,
Fons vbi Pegaseus, vitreo torrente superbit,
Atque nouem residet Musarum, præses Apollo,
Iam Cytharam digitis,& eburno verbere tangẽs,
Sacraque iam tenui, modulatus carmina voce.
Pierides ramos diuellunt serpere lauros.
Dum prohibent; viridi nectentes fronde coronas
A Musis, miror! cûi tot sacra serta parentur
Ad quæ Pallas ait; sic dignos dignor honore.
Est Iagelonicæ IVRKOWSKI, gloria STOÆ,
Orbi, quem tanti commendant, totq; labores,
Herculeas vires quibus excellisse videtur.
Hic est, Orbis Academici qui sceptra gubernat
Consilioq; regit sapienti, lucidus vtque
Splendescit nobis Phæbus, uirtutibus amplis.
Hic tot Academiæ Doctores, totq; creauit
Doctos; præcingens viridi de fronde coronis
Tempora; mercedem soluit dignamq; laborũ.
Quare cum multos tali dignetur honore
A multis etiam præcingi tempora debent
Illius lauru; nec non ad sydera tolli
Laudibus, hæc roseo Pallas cum protulit ore,
Iussit abire domum, metris & cuncta notare
O nos felices VIR MAXIME, quos tua dextra
Doctorum sertis, præsenti luce, coronat.
Quas tibi Musa feret grates, quo carmine famã
Nominis illa tui celebrabit; & vnde perennes
Educet fontes laudum: sed cuncta rependat,
Posthuma fama tibi, referens per sæcula nomen.

CLARISSIMIS ET EXCELLENTISSIMIS DD.

EXAMINATORIBVS,

Clarissimo, Et Excellentissimo Domino,

M. FRANCISCO PRZEWOSKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Maiori, Cursûs Vladislauiani Professori, ac interea Philosophicæ facultatis Decano.

Clarissimo, & Admodum Reuerendo Domino,

M. SIMONI STANISLAO MAKOWSKI,

Sacræ Theologiæ Bacc: Collegæ Maiori, Canonico S. FLORIANI, Concionatori Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis Regio.

Excellentissimo, ac Doctissimo Domino,

M. IOANNI RVDZKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Minori, Contubernij Iagelloniani SENIORI, grati pectoris.

Symbolum.

Palladiæ stirpis clarissima sydera, vobis
Iam mea contendit dicere Musa melos.
Sed vos, quis vatum, dignè celebrare valebit?
Tantis quis fundet, carmina digna viris.
Non si nascatur Diuini Musa Maronis
Laudibus illorum, par nec Homerus erit.
Penna Tomitani præsumat scribere vatis
PRZEWOSKI *Docto, concinat Elogium*
Gloria magna Sophûm, Craciæ splendorq; palestræ
Quem labor haud fugit, curaq; perpetua,

Clarus

Clarus eras ſemper, tamen es in murice longè
Clarior, ex voto Matris Academiæ.
Mutuat á ſplendore tuo, mens noſtra nitorem
Iudicium poſt tot, cum tulit illa criſes.
Inſignis nec te MAKOWSKI *fama recondet*
Ornant quem Cathedræ, tum calamusq́ ſacer
Dogma loquens sacrum, traxiſti corda virorum
Eximiè dignus, quem mea metra canant.
In te vera nitet ſapientia; Pallas & in te
Contulit; in doctis quidquid habere poteſt,
Vtq́ tuum Pario ſculpatur Marmore nomen
Dignus es; utq́ illud poſthuma sæcla legant
Ad te iam RVDZKI, *contendit penna Tyronis,*
Teq́ tuumq́ decus, tollere ad Aſtrá cupit.
Sed cùm me fugiant ad laudes verba diſerta
Ingeniumq́ ſagax iudiciumq́ graue.
Ergo te celebrent doctæ vel Pergama Romæ.
Exaret laudes, claraq́ fama tuas.
Quid loquar! ut referam veſtros O digna labores
Lumina; Pierijs concelebranda modis,
Iam Calamus languet, ceſſat iam vena Poetæ;
In veſtris veniam laudibus, inueniat.

PRÆMIVM
VIRTVTI, ET LABORI,
I. V.D. ANDREÆ KROWICKI,



Lemma, *taliter honos.*

SVnt hominum varij ſenſus, diuerſaq; mens eſt,
Eximij per quam culmen honoris, amant.
Prælia ſunt alijs cordi, ſtrepituſq; tubarum.
Et magno rigidi Martis amore calent.
Sunt quos vnda iuuat maris, & res nautica ditat
Artibus hæc Pallas, cuncta tamen ſuperat
Tu per doctrinam KROWICKI carpis honores.
Præcincto nobis vertice iamque micas
Annuat vtq; tuis votis ſors comprecor, vtq;
Viuas Neſtoreos, iam ſine nube dies.

II. V.D. IOANNI STANISLAO ZYCINSKI, Notario publ.



Lemma, *Splendidior inde.*

ZYCINSKI, cytharæ dulce decus meæ,
Permultum renitens iuridico foro.
Te myſtam recipit Diua Themis ſibi,
Cuius iam genium rebus in arduis
Nouit: Theſpiades montibus in ſacris,
Iam nomen celebrant, carminibus tuumq;
O ſydus nitidum, Palladis inclytæ;
I ſplendore tuo ſplendidior manens,
Quod Pallas, tibi iam nectat adoreas,
Virtutiq; tuæ munera conferat

III. V.D.

III. V. D. ALBERTO IOANNI PODRAZINSKI,

Lemma,  *Charum quia candidum,*

NVllus candidior poteſt
Cerni floſculus, inter et
Flores Heſperidum loci,
Quam ſunt Lilia candida
Mentem quæ recreant ſui
Viſu ; delicijs quoque.
Sic tu charus es omnibus,
Cum ſis pectore candidus.
Dignum te tua candida
Nobis mens faciet Virum,
Suadæ dulcis amor quoque,
Nec non Mæonij metri,
Felix culmina gloriæ
Tangas, tempora dum geris
Sertis cincta virentibus

IV. V. D. VINCENTIO STANISLAO ROGOWSKI,

Lemma,  *Monſtrant iter.*

STella tuo clarè num terna nitore refulget
ROGOWSKI, num tu clarus ea renites.
Talia perpendens, ſumme miratur vtrumq;
Quod tamen in vobis, Cynthius eſſe videt

Per cultum, poteris tu lucem ferre, Matheſis,
Stellis; Auſoniæ Palladis arte tibi.
Hæc tibi monſtrabunt, magnorum culmen honorum,
Attribuent capiti, pluraq; ſerta tuo

V. V.D. IOSEPHO STANISLAO KVPISZEWIC,

Lemma,  *Poſt tot diſcrimina.*

QVi tranſit mare turbidum,
Quod flatu quatit Eolus,
Tot diſcrimina ſuſtinet
Vitæ, quàm prius occupet
Lætus littora, vel ſuam
Iam metam teneat. tibi
Sic venitque KVPISZEWIC,
Qui poſt tanta pericula,
Noſtri examinis, inclytum
Sertum, temporibus tenes.
Applaudit tibi iam, nouem
Muſarum celebris chorus.
Ergò percipe gloriæ
Laurus; quas labor obtulit.

VI. V.D. IOANNI NYKOWSKI,

Lemma.  *tanget honorũ culmen.*

F*Ama quæ mundum peragras referſq;*
Literatorum celebres triumphos,

Fac

Fac precor per te volitet NYKOWSKI,
Gloria suadæ
Dulce Musarum decus ô mearum
Iam tibi fasces, dicat en virentes,
Palladis cultus, capitijq docti
Tempora cingit.
Multa sunt magnum tibi quæ decorem
Conferent, postquam ingenium probatum
Viderint semper renitere; nec non
Artis Amorem
Perge iam felix; superesq longos
Nestoris menses; celer vtq tangas,
Laureis præstans, meritum labore.
Culmen honorum.

VII. V.D. IOANNI LOCHMAN,

Lemma,  *In virtute tua,*

VIrtus militis est boni;
Armatas gladio manus,
Et Corpus clypeo æreo
Saluum semper habere, sic
Hostes vt valeat graues,
Per vim pellere fortiter
In virtute tua quoquè
LOCHMAN, quod latitant bona
Quêis infesta scientiæ
Tu portenta laboribus,
Longè mente fugas tuâ
Hostes cêu gladio truces,
Post certamina Palladis
Et post Eloquij decus,
Quod magno dederas Thomæ
Dum reddis similem Cherub
Præcingent tua tempora
Musæ docta virentibus.
Lauris, floreq; candido

VIII. V. D. BLASIO KRAVZOWSKI,

Lemma,  *Vel huius auxilio.*

KRAVZOWSKI Celebris, dulce decus meum;
Et cultor Senecæ, carmine quo canam
Te; in quo tanta micant ingenij bona;
Et ſuadæ Latium nectareæ decus,
Huius tu auxilio Mercurij ſacras
Facundus referes per populos vices,
Vinclis Eloquij pectora vinciens,
Dignas Pyerides iam tibi concinant
Laudes carminibus, iam cytharâ ſonat
Phœbus; namq; tuigratia nectaris
Omnes conciliat iam tibi gratias.

IX. V. D. MATTHIÆ STAWIARSKI,

Sac. Ord. Præmonſt. Conuent, Hebd. Profeſſ:

Lemma,  *Sub hac tutus eris.*

Illi Cynthius occinat
Laudes; Religio candida quem tenet,
Commendat ſapientia,
Mores atque pij, vitaque candida,
Iam ſplendebis honoribus,
Sub Lauruque ſacra, tutus eris, tibi
Quam fecit pietas tua,
Necnon ſummus amor, viſque ſcientiæ,
Poſt hac clarior omnibus

Splen.

Splendesces radijs Cynthia quàm micat,
Phœbo splendidior quoque
STAWIARSKI remanens : Ordinis inclyti
Semper spesque decusque eris,
Ætati niueos annumerans dies.

X. V.D. STANISLAO MICHNIEWIC,

Lemma,  *Per ardua.*

CVltor Palladis inclytæ
Phæbi Craciaci quoq;
MICHNIEWIC; tibi iam Parens,
Sertum nostra refert tuis
Pandit præmia moribus
Sensim contribuet tibi
Virtutis bona munera
Postquam Marte Per ardua
Enixus proprio, Rosas
Carpes Castalidum nouem.
Pergas tramite comprecor
Felici : emeritus manens.

XI. V.D. CASIMIRO HORNASKI,

Lemma,  *Duce hac tutior.*

QVâ duxit soleâ nouem
Musis rupe biuertici
Lymphas Bellerophonteus

Stre-

Strepentes ſonipes; facit
Gratum Pieridum choro
Hæc te: quâ *Duce tutior*
Iam ſubſellia maxima
Conſcendes: pietatis et
Præbes ſigna tuâ cruce.
Ergò quid poterit tibi,
HORNASKI fieri magis
Amplum; ſi ſapientiâ,
Et virtute nitens eris.
Felix perge precor meis
Votis: tollito verticem
Quem cinxit viridi tibi
Serto; pro meritis tuis
Muſarum domus inclyta.

XII. V.D. MARTINO DRYAKOWICZ,



Lemma, *Vnica ſemper.*

Phœnix vnicus eſt ſemper, & omnibus
Sæclis, haudq; poteſt ignibus arduis
Abſumi, ſuperans Neſtoreos dies.
Pallas ſic remanens vnica durat; in
Annos innumeros viuit & inclyta
Quæ ſertum DRYAKOWICZ *tibi contulit*
Hoc virtus meruit Doctáq; pectoris.
Poſcit gaza tui, quàm tibi condidit
Feruenti ſtudio, Pallas amabilis.

XIII. V.D. MARTINO VLADISLAO MIELICKI.



Lemma, *Placidis arridet ocellis.*

Inclyta

INclyta MIELICKI, *Placidis arridet ocellis.*
Et ſenſus recreat, ſuauis odore roſa
Recreat illa ſenes, miro iuueneſque decore
Inſignis flores inter & Heſperidum.
Tullius, è roſeæ contextus nectare Suadæ
In lucem toties, prodijt ore tuo.
Iam ſolito felix maiorum tramite pergas.
Arridens doctis, Theſpiadumq; choro.
Floſculus vtq; roſæ, fragrantior omnib' exſtet
Virtutis roſeus, ſic tibi fragret odor.

XIV. V. D. THOMÆ NYKOWSKI, Notario pub.



Lemma, *Vtroq; ſplendes.*

DOctus Apollo tenet plectrum, gaudetq; ſagittis,
Mars pharetrâ clarus, Cythius atq; lyrâ.
Nobilior Phœbi, tua ſplendidiorq; ſagitta.
NYKOWSKI; ſtellâ quæ nitet, atq; cruce,
Crux pietatis adeſt ſignum, ſed ſtella decoris,
Quod tu mente capis, clarus vtroq; micans.
Promittit magnos tibi, Iuſtinianus honores
Nec non Doctorum primus Ariſtoteles.
Tu præcincta ferens clarebis tempora ſerto.
Corporis, ac mentis dotibus eximius.

XV. V. D. ALBERTO MACHCINSKI,



Lemma. *Vtriſq;*

Anguis ſigna ſcientiæ
Fert: Laurus ſapientiæ
MACHCINSKI hæc tibi confero,
Nam te iam ſapientiæ,
Commendat ſtudium tenax,
Nec non iudicium graue.
Felix quo tua te trahit
Pergas mens, referens ſacras
Laurus, Craciacæ domus,
Nec non clarus *Vtriſq;* ſis.

XVI. V.D. MATTHIÆ STANISLAO ZYGMVNTOWICZ.



Lemma, *Hac ſtante virebis.*

Dulcis fructus adeſt laboris almi,
Laurus Craciacæ virens Mineruæ,
Quæ ZYGMVNTOWICI caput coronat,
Te cultus Sophiæ feret per Orbem
Ad Phœbi Cytharam; tuumq; nomen;
Hac *tu* ſtante virebis, *inter omnes*
Athletas ſapientiæ, traheſq;
Pares Neſtoreis diebus Annos;
Vatis non Calamus tuas referre,
Virtutes animi, nec eruditum
Nomen Laudibus extuliſſe, par eſt.
Sed te gloria, quam mereris, inter
Cætus Palladis efferat togatos.

XVII. V.D. FRANCISCO ANATIDI,



Lemma, *Durat & lucet.*

Quid

QVidquid beatum, poſſidet vltima
Telluris Ora; & diues Arabs refert,
Quidquid Sabæi; dant odoris,
Cardine temporis id rotatur.
Immota Pallas, cum ſapientia;
Perdurat inter ſumma pericula;
Nulliſque velatur tenebris'
Nec Pelagi, timet illa fluctus.
Truceſque ſcyllas. KACZOROWIC tuæ
Sic magna mentis dona ſagacis et
Cultus ſtagyræi laboris,
Lumine perpetuo nitebit.
Nec ſi procellis, ſæuiat horridis,
Fati maligni, ſors violentior,
Durabis illæſus, coronâ
Matris Academiæ, coruſcans,

XVII. V.D. IOANNI GEZICKI,

Lemma,  *Probata.*

IAm tuo confert capiti coronam,
Pallas illuſtris, Lechiæ Palæſtræ,
Ditibus gemmis, viridiq́ pulchrè
Flore nitentem.
Infimam nunquam retinet, Probata
Inter Athletas tenuemq́ ſedem;
Surgit en virtus, celeriq́ paſſu,
Scandit honores.
Conferat tecum, veterum triumphos
O GEZICKI fama, licet Sophos hæc
Iactet inſignes; poteris labore
Tantus adeſſe.
Qui caput, cinctum recipis virenti
Fronde; tum Doctis ſociaris, vnde
Iam tui famam capies perennem;
Nominis ampli.

XIX. V.D. CHRYSTOPHORO S O W I N S K I.

Lemma,  *Vnita valent.*

SOWINSKI celebris, Carmine concinam
Quo te; dum recipis præmia gloriæ,
Iam te conſequitur perpetuum decus;
Quod virtus meruit, mens quoq; iam tua
Hæc *Vnita valent* tendere in ardua,
Nomen fama tuum, neſcia commori
Iam mundo referet; cûi ſapientiâ
Conflabit celebres Pyramides, tuas
Dotes perpetuo tempore perferens.
I felix, decoris ſiſque memor tui,
Maioris cumulans præmia gloriæ.

XX. V.D. LAVRENTIO W E S Ó L E C K I,

Lemma,  *Priuſquam redoleat dolet.*

Hortos Heſperidum mihi
Si quis commemoret cum viridarijs
Hyblæ; cunctaq; florida
Contemno: rubeam WESOLECI roſam
Prenſans, quæ recreat ſuo
Mentes delicio; hæc parta laboribus,
Iam metris redolet meis.
Felix perge precor quæ tibi contulit,
Affatim Alma Parens mea
Mentis perficias eximiæ bona,
Et viuas roſei ſæcula Temporis

XXI. V.D. ANDREÆ SVSZYCKI,

Lemma.



Sic in perpetuum.

QVid iuuat, Cræſi radiare Ditis,
Vel Tagi fuluo celeris metallo,
Cuncta tempus conficit hæc auarum,
Perpetuum nil.
SVSZYCKI Laurus tua te coronans,
Gloriæ multò tibi plus refundet
Temporis curſu; neque conteretur
Nec cadet vnquam.
Omnibus ſæclis, celebrabit in te
Penna Doctorum, generoſa facta;
Atque virtuti faciet trophæa?
Digna probatæ.
Proſperis pergas auibus; decoris
Paſſibus tendas; virideſque Laurus
In tui creſcant Capitis Coronam,
Viueque felix.

XXII. V.D. AVGVSTINO CZYRZYCZKOWIC,

Lemma,



Non fruſtra.

TEmpus conterit in dies
Auceps; retia conſtruit
Adſciſit ſocios ſibi,
Vt captet volucres vagás
Preſſus tumq; laboribus
Fructum poſſideat, ſatis

Exilem, neq; comparem.
Felix CYRZYKOWI tuus
Non frustra est labor arduus,
Intra Craciacam scholam,
Lauri præmia qui tenet.

XXIII. V.D. AMBROSIO SZALEWIC,

Lemma,  *Non dormit qui custodit.*

FElices teneris dicant ab annis
Qui sese studijs, legendo fructus,
In sudantq; libris, merentur horum
Cingi tempora, floridis Coronis,
SZALEWIC, tibi Craciæ Minerua
Doctas, atq; tuo sacrat labori
Laurus, cuius eras sequax fidelis.
Tu iam perpetuò, vigebis inter
Nostræ Craciacæ scholæ nitores;
Iustè præmia, nam meretur ille,
Qui non dormit, Apollinis recessus
Sed *custodit*, & arduos labores.

XVIV. V.D. JOANNI KROPICKI,

Lemma,  *Nil sine labore.*

C*Ontulit alma Parens nobis natura*, Labore
Nil sine *continuò*,
Pingue solum lacerant tauri, glebasq; iacentes,
Diuidit agricola:
Vix rigidæ Cælo, noctis descendit imago,
Lucifer atq; nitet,

Rusti-

Rusticus en pellit solers ad aratra iuuencos,
Votaq; fert Cereri,
Te quoq; KROPACKI Laurus iam Palladis almæ
Esse cupit Vigilem,
Est tibi mens studij, quam tu seruare labore
Perpetuò poteris,
Perge precor, Pilios viuas Annosq; beatus;
Tempora cincta ferens.

XXV. V.D. STANISLAO JASTRZEBSKI,

Lemma,  *Hocce præmium.*

PAlladis quisquis sequitur Lyceum,
Præmijs semper cumulatus ibit,
Gloriæ Fasces referendo, culmen
Tanget honorum.
Mente IASTRZEBSKI sequeris sophorùm
Tractus: & quæris tibi literata
Arte; mercedem viridis Coronæ
Inter alumnos.
Præmium tu percipe iam labore
Arduo partum capiti; togatæ
Palladi pergas radiare, clarus
Dotibus amplis.
Iam tibi ponet generosa virtus,
Omnibus sæclis celebres Colossos,
Debitos menti referens honores
Elogiumque.

XXVI. V.D. ALBERTO BARDZINSKI,

Lemma,  *Viuat. viuat.*

Præ-

PRæclara magnæ progenies domus,
Splendorq; summus, sanguinis inclyti;
Te penna tentat prædicare;
Maxima spes, decus & tuorum.
Heu quot superbi Stemmate Patrio,
Turgent auorum, non meritis suis,
Minùs Palestræ gloriosæ,
Nomina magna colunt, togatas,
Sôphumq; laurus, & sapientiam,
Omens inanis! (cûi generis nitor;
Consueuit haud Pallas placere)
Perpetuâ tumulanda Nocte.
Te laurus ornat, nobilitas quoq;
Diti metallo gemma ceu nitet
Inclusa, BARDZINI; tuumq;
Non faciet sine luce nomen.
Latere; semper quod deceat tuam
Stirpem vetustam, Matris & inclytæ
Laurus, tenebis quæ perenni
Te faciet radiare Serto
Viuat, *Pelasgi sæcula Nestoris*
Viuat *Parentis delicium sui*
BARDZINIUS vitæ beatos.
Lætus agat sine nube menses.

XXVII. V. D. THOMÆ PODREBSKI,

SS. Sepulchr. Christ. Hierosolym: Canon. Regul. Profess: Conuent. Miechouień.

Lemma,  *In hoc vinces.*

CLarorum genitrix Miechouiæ virûm
Claustrum: quod domui Craciacæ feras,
Mentes ingenijs, & sapientiâ
Ornatas; tibi iam multa POREMBIUS
Debet; signa Crucis, quod referat rubræ,

Sub

Sub quêis perpetuus Miles erit Dei.
Signo vincet & hoc, cuncta peraspera,
I: Faustus, Capitis cinctaque tempora
Sacret fama tui; quòd meruit decus,
Præstans Religio suadaque Cælica.

XXIX. V. D. DANIELI MAKOWSKI,



Lemma, *Viget et vigebit.*

Facundæ præstans MAKOWSKI munere linguæ
Eloquijq; decus,
Nulla tibi possunt dici præconia dignè,
Carmine Mæonio.
Quem tot commendant Virtutes; atq; corona
Matris Academiæ,
Tu comi vultu conuincis pectora, tuq;
Charus amicitia
Palladis assurges tot doctos, inter Alumnos,
Atq; celebris eris,
Qui Cytharam pulsat, celeres mittitq; sagittas
Cor ferit ille tuum,
Quare commodius multis Viget, *atq;* vigebit
Cor; quod Apollo probat.

XXIX. V. D. DANIELI CASTELLI,



Lemma, *Quam bene conueniunt.*

QVid tellus Lechiæ? turris quam fortis & alta,
Hosti quæ semper restitit, innumero
Illam non Moschus, Cosacus, nec Turca valebat
Marte domare truci, perfidus atque Suecus.
Denotat Herculeus Leo quid? num Martia castra
Num pacem? pleno quam cupit Ore Lechus.

Deniq;

Deniq́ue quid magni volucris Iouis? inclyta signa
CASTELLI videas, *quam bene conueniunt*
Sit Tellus Lechiæ turris, Leo sit tua clara
Vrbs ; quæ te genuit, docta Parens volucris,
In Lechicâ tellure manes, Leo te tulit Orbi,
Alma fouet volucris, Mater Academia,
Iam Patriæ viuas felix, vrbiq́ue beatus
Et semper matri fausta precare tuæ.

XXX. V. D. PETRO KAMINSKI,

Lemma,  *Tandem compos votorum.*

COmpos adest, tandem votorum missa sagitta
Cum metam cursus, poßidet & fugitur.
Infelix nec tu KAMINSKI digna labore
Præmia dum recipis, sertaq; temporibus
Fert Galenus opes, magnas tibi Diues & ipse
Illius postquam, promptus alum̃us eris
Carpito iam fasces, Lauru præcincta tenendo
Tempora : quam Medicæ, postulat artis opus.
Hâc tu perpetuo, iam liuida pectora vinces
Hâc per te inualidis, fiet amica salus.

XXXI. V. D. MARTINO CHYBICKI,

Lemma,  *Suauitate recreat.*

QVisquis fulgidus esse vult,
Summum nomen habereq́;
Multis artibus imbui.
Debet, semper in ardua
Virtus progreditur vijs
Multis; clarior vt micet
CHYBICKI recreas tuâ
Qui mentes tetricas lyrâ

Pren-

Prensas atque laboribus
Sertum, quot capiti tuo
Docto, nostra tulit Parens

XXXII. V. D. BALTHASARI TVMLINSKI,

Lemma,  *Prohibet ne pereat.*

NEptunum celeri, scaphâ secantes
Atrocem, metuunt graues Charybdes.
Et fluctus rapidos venusta Syren,
Ne per blanditias periclâ causet
Nautis insidijsque priuet illos
Vitâ; nauigium mari profundo
Mergens: Mox prohibent perire nauem
Fixas dum Pelago Anchoras reponunt
Fixa en Anchora TVMLINI tuorum
Et fortissima, stat basis laborum.
Quam Sophûm Peripatus & Stagyra
Insigni studio, tibi dicauit.
Cuius tu Cathedram tenens; decoras
Laurus temporibus tuis creabis.

XXXIII. V. D. PETRO DE PROMNA PROMNICKI,

Lemma.  *Eo clarior.*

TV nec Obscuris tumulatus vmbris
Clara PROMNICKI cynosura nostrûm
Quem domus splendor decorat manebis
Lumen amicum.
Exerat dulcem, mea Musa cantum
Laureas in te, celebret virentes,

Quas tuo mater, vigili labori,
Nexuit Alma
Stemmatis Clari generoſa proles
Nominis famam poteris perenni
Gloriæ tractu ſapientiâque
Continuare.
Cura ſi præſit ſtudiumque Suadæ
Palladis ſemper vigeatque feruor
Sic tuæ menti ſtatues per altos
Laude Coloſſos.
Sic per alternos, renitens labores
Clarior fiet, tua Luna Muſis
Digna quod magni, generis vetuſtos
Seruet honores.

XXXIV. V.D. DOMINICO Z Y C H L I N I,

Lemma,



Vi opprimitur vis.

MAgnas irarum voluens in pectore flammas
Terribiliſq; Leo.
Vnguibus extenſis exſpectat prælia, ſi non
Vi iaculi pereat.
Nec canibus vinci potis eſt, nec retibus amplis
Omnia vi lacerat.
Vix bene munitus ferro venator atrocem
Opprimit ille feram.
Opprimitur vis vi, *ſemper, multoq; labore*
Porta redire ſolet.
Digna quies ZYCHLINI, tu quoq; tramite tali
Laurea dona refers
Qui poſt, tot curas poſt tot certamina Phœbi
Dum ſuperare Sophûm
Ardua contendis diſcrimina, vimq; laborum
Vi meliora petis.

ANDRE-

ANDREAS FRANCISCVS KROWICKI,

Eiuſdem Secundæ Laureæ Candidat.

V. D. LVDOVICO NICOLAO TAINER,

In pignus boni affectûs, Roſam candidam, florentis ingenij & naturæ elegantis ſymbolum offert.

Inſcriptio,



Non ſine gratijs.

FAcunde TAINER Pieridum decus.
Ocelle Suadæ, corculum Apollinis,
O eruditi, pulchra cætus
Portio; nobiliuſque germen.
Quâ literatæ, munera dexteræ
Quæ contuliſti prodigus ingenî
Prompta rependam largitate
Quâ Cytharæ venerabor arte.
Aurumne donem? non placitum tibi
Vndantis auri, flumine prolui,
Cûi præ fodinis Indiarum
Palladiæ placuêre gazæ.
Gemmaſne portem? quas liquidus, Tagi
Protrudit amnis, nulla tibi ſitis
Cydnique, fecundique Gangis,
Gemmiferos vacuare fundos
Te cura tantum Pieridum tenet
Adire fontes, vnaque mens tibi:
Haurire lymphas, queîs aluntur.
Aonidum: pia cura vates.
Hinc illa fandi, gratia naſcitur,
Illudque pondus flexilis eloquî
Seû cogis in nodos ſeueri,
Verba metri: numeriſque ſtringis.

Seu Tulliano, viuidus impetu
Exurgis audax, legis & immemor;
Latè triumphas vincta tecum
Corda rapis, penetraſque mentes.
Non ergo gemmas, non nitidi dabo
Glebas metalli, ſed niueam roſam,
Hæc mentis ornamen tuæ eſto
Symbolon hæc vigilis laboris
Subſcribo votum ſydera ſint tuis
Addicta ſemper, pronaque nutibus
Et fauſta lux quæuis recurrens
Floriferos tibi ſpargat imbres.

V. D. DOMINICUS ZYCHLINI,

In vim Grati animi, Lætus occinit.

AVdiêrat memorande tuas de Carmine laudes
Carminis ipſe DEUS,
Et ſubitò verſus lætus in collibus altis
Plectra ſonare iubet
Eſt meus hîc TAINER ſocie celebrate ſorores
Nomina tanta viri,
Quàm labor humanus multum ratione ſagaci
Proficit, Ecce patet:
Concentus noſtri quot ſunt in Carminis arte
Quot Cytharæq́ modi,
Lumina vel quot ſunt, ſpecies vel quotque colorum
Pulchraq́ dona animi,
Tot ſcripto rerum proſtant in Carmine vultus
Tantus & ecce color,
Quin age rumpe moras Academica Pallas, & iſtud,
Cingere perge caput
Iam vincto leuiter ſeſe diſcrimine fundat
Vmbra ſupercilij
Quem labor erectum noſtra ſtatione locauit
Maximus ornet honor.
Talia cum PHÆBUS dulci teſtudine ſuaſit
Annuit omne decus.
Et ſic ſollicito iuſta de parte labori
Digna corona datur.

NI,

15